

XIX. Ne tamen nihil agant Pontificij, producunt exempla
Esavi, Jacobi & Tobie, Jus item Canonicum & Ratiunculas.
Sed 1. quantum exemplis dandum leges monstrant.
Proinde Jesuita Esavi exemplo superbiant; nos legibus steteri-
mus, quas ipsas tantum abest ut spreverint Jacobus & Tobias,
ut potius contrarium oculariter ostendi possit Gen. 28, 2. Tob. 11,
18, c. 4. 13. juxta textum grecum. 2. Jus Canonicum, quod
ἀπόφασις continere, novum non est, alicubi necessitatem consen-
sus paterni perspicue demonstrat. 3. In rationibus suis ita enor-
miter peccant Jesuita, ut Filium sui Juris non minus esse, quam
Parentem in his, quae ad vitae statum pertinent, asserant; ma-
trimonium contrahendum impediencia & contractum divi-
mentia confundant, & deniq; Jus patriae potestatis & ejus ex-
ercitium non distinguant.

XX. Sonora interim voce protestamur, speciales quos-
dam dari casus in quibus ratione circumstantiarum ha-
bita potestas parentum est vel limitanda vel inhibenda.
Ideoq; si qui parentes consentire nequeunt, ut furiosi & demen-
tes; quidam nolunt, ut Duri & Avari, quorum loco Magistra-
tus legitime, interpellatus matrimonij ineundi potestatem Libe-
ris facere potest: quidam tandem per alias causas excluduntur,
ut ab hostibus capti & procul profecti, Conjugium poterit ho-
nestè iniri, ut ejusmodi parentibus nulla fiat injuria: Con-
sensus enim patris est habendus, sed si ipse habeatur
pater.

XXI. Ex dictis facile liquet, quid de Matris, Tutoris, Avo-
rum & Cognatorum consensu sit statuendum. Cum enim sub
nomine parentum in Scriptura illi omnes comprehendantur,
omnium eorum consensus, gradibus tamen debito modo observa-
tis, requiritur: Facile etiam intelligitur quid de emancipatis vel

B

major-